



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De magni Athanasii ex Galliis reuersione, & Constantini Cæsaris
Constantini magni filii epistola, & tensis rursus ab Arianis contra Athanasiū
insidiis, & Acacio Birrhæensi episcopo, ac bello inter ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

nes priuatim & publicè susceptæ: simulque contumeliæ & simultates ortæ: deniq; res Theognidi & suis processit ex sententia.

De magni Athanasii ex Gallis reuersione, & Constantini Caesaris Constantini magni filii epistola, & tensis rursus ab Arianis contra Athanasium insidiis, & Acacio Birrhæensi episcopo, ac bello inter Constantem & Constantinum suscepto.

CAPVT II.

DVm hæc geruntur, Athanasius ex Gallia ad solé occidentem vergente Alexandriam reuertitur. Quem Constantinus, dum adhuc maneret in vita, reuocari in patriam iusserat. Fertur etiâ eum hoc idē in testamento suo præcepisse. At verò quoniam mors illum antè occupauerat, quàm res perfecta sit, idcirco filius eius Cōstantinus, qui Gallis versus solis occasum præfuit, fecit Athanasio potestatem Alexandriâ reuertendi, literasq; eius causa ad populum Alexandrinū dedit. Quas literas hoc loco ponere statui, quæ sunt scriptæ his verbis.

Constantinus Caesar populo ecclesiæ catholice Alexandrine. S.

Vestre prudentiæ minime obscurū arbitror, quid cause fuerit, cur sacrosanctæ legis & doctrinæ euāgelicæ interpretes Athanasius à patre meo in Galliâ ad tempus relegatus sit: ne scilicet per nefariam improborū quorundâ peruersitatē (nā agrestis infestorū & crudeliū hostiū immanitas eius capiti periculū intenderat) vulnera planè insani- bilia sustinere coactus fuisset. Quocirca vt hęc neq; hominum malitiâ effugeret, ex illorū quasi faucibus, qui ei struebant insidias, ereptus est, iussusq; , vt sub mea ditione vitâ degat, quò nō aliter, ac si in ea ciuitate versaretur, in qua antehac vixerit, omnibus rebus ad vitâ necessariis (licet eius eximia virt⁹ diuina ope freta, graues asperioris fortunę erūnas pro nihilo putet) abūdare circūfluereq; possit, Quāobrem cū pater meus Cōstantinus August. dignus sanè ob res præclare gestas, qui sempiternæ memoriæ commendetur, haberet

SOZOMENI HISTOR.

haberet in animo, episcopum illum ad propriam sedem locumque; vestrae cum primis sanctimoniae gratia, restituere, & morte, ut fors humana fert, ante occupatus occumberet, quod id, quod erat sibi in optatis, explere posset, consentaneum certe existimaui, ut ipse institutum tam pii imperatoris mihi exequendum susciperem. Quanta autem obseruantia & honore hominem complexus fuerim, ab eo ipso, simul atque in vestrum conspectum venerit, facile intelligetis. Nec mirum sane, me istud humanitatis officium erga illum declarasse. Nam cum quaedam vestri desyderii quasi effigies, tu grauis hominis persona ante oculos mentis obuersata, animum meum ad hoc ipsum commouit, vehementerque cohortata est. Deus vos, fratres mei charissimi, sua prouidentia diu seruet incolumes. Istarum literarum subsidio Athanasius reditum consecutus, ecclesias Aegypti denuo administravit. At Arriani istud grauiter tulere, neque animo tranquillo potuerunt consistere: hincque crebrae seditiones concitatae. Quae res causa fuit, cur nouae infidiae Athanasio denuo tenderentur. Nam Eusebiani eum apud imperatorem magnopere insimulabant, quod homo seditiosus esset, quodque contra leges ecclesiasticas, non iudicio episcoporum, sed suo ipsius arbitrio reuertisset. Verum quemadmodum istorum insidiis Alexandria rursus expulsus sit, mox idoneo loco dicitur. Per idem ferè tempus, Eusebio cognomento Pamphilo mortuo, Acacius episcopatum Caesareae Palaestinae capessit. Qui studiosus Eusebii imitator factus, & ab eo in sacris literis institutus, cum ad inueniendum quid diceret, tum ad inuenta oratione explicanda adeo aptus fuit, ut perdisertus euaderet, multosque libros memorabiles post se relinqueret. Non ita diu post Constantinus imperator, in bello contra Constantem fratrem suum illato, in Aquilia à ducibus Constantis interficitur. Quare imperii Romani pars, quae ad solis occasum spectat, Constanti, pars autem quae vergit ad solem orientem, Constantio cessit.

De Paulo Constantinopolitano episcopo, & spiritus sancti oppugnatore Macedonio.

CAPVT III.

Interea